Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

est pater, immensus filius, immensus spiritus sanctus:
increatus pater, increatus filius, increatus spiritus
sanctus: æternus pater, æternus filius, æternus spiri-
tus sanctus, qui uerus est deus, qui uos creauit, quem
dereliquistis per malitias uestras, et cecidistis per super-
biam. Hic uobis præcipit, et ego in eius nomine, potestate
et uirtute, ut amplius non tardetis, sed festine recedatis:
exite maledicti, exite damnati, exite æternè arsuri uir-
tute omnipotentis, præcipit uobis archangelus Michael, et
eijcit, qui uos de regno coelorum eiecit ad nutum Dei: in
ipsa ueritate eijciemini per ipsum. Nam si dominus no-
stras obseruaret iniquitates, quis posset sustinere, aut
uobis contradicere, sed quia apud eum propiciatio est,
et propter legem suam sustinemus eum, ipse enim domi-
nus est, uos subditi, quoniam uos subditos esse oportet,
Ipse creator, uos creaturæ, non quales uos creauit, qa
per superbiam et malitias uestras, uos bene creatos de-
formastis, et imaginem et similitudinem dei, scilicet
hunc hominem conamini deformare, quod facere non
potestis. Nam potestas diuina uobis resistit, quæ uos ma-
ledictos uilissimos et pessimos hostes eijcit et expellit, Qui
uenturus est. etc. et uos damnatos æterno igni dam-
naturos. etc.